



**G**eorgius ex nobili familia Leyensium apud Belgas natus, & honestè educatus est. Is cum prima literarum rudimenta percepisset, armorum quoq; usum didicit, & rei militaris magnam notitiam sibi comparauit. Itaq; Coloniensis Elector eū inter suos consiliarios recepit, atq; etiam suæ curiæ Magistrum constituit. Cum etiam 1562 Franckoforti Maximilianus Cæsar eligendus esset, atq; Iohannes Gebhardus à Mansfeld præsul Coloniensis ob aduersam ualetudinem interesse non posset, hunc Georgium, cum Georgio à Seyen comite à Vuitgenstein Subdecano Coloniensi uiro prudentissimo, Rudingeo ab Horst, & Francisco Burckardo

Cancellario, suo nomine legatos interesse, & res magnas expedire iussit. Pariratione cum præsul ille obiisset, & Fridericus nouus Archiepiscopus Franckofurtum peruenisset, hic Georgius ei adfuit, atque suis consilijs ei gratissimus extitit. Hoc genere uitæ Georgius etiamnum pergit, & suis uirtutibus apud Belgas honorificè agnoscitur. Anonymos.